



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Consilia Seu Responsa Juris**

**Schmalzgrueber, Franz**

**Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL**

Cons. XVII. Mutatæ Monetæ, ubi acuté discutitur, secundùm quem  
valorem solvendum modo sit Legatum annum Talerorum Imperialium  
olim factum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72287](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72287)

CONSILIUM XVII.

In Cauſa Legati annui quatuor Millium Imperialium Specie talium, vel in alia Moneta æquivalente.

SUMMARIUM.

1. *ſeqq.* Facti Species.
2. Si in Contractum venit Moneta in Specie, damnum vel lucrum ex ejus mutatione pertinet ad Creditorem.
3. Et *ſeqq.* Exemplum in Mutuo vini, vel donato pondere argenti applicatur ad Monetam in Specie debitam.
4. Si debetur Moneta, absque addito in Specie, præſtanda eſt ſolutio juxta valorem, quem tempore Contractus habuit.
5. Si tempus ſolutionis pro inſpiciendo valore determinatum fuit à Contrahentibus, id obſervari debet.
6. *ſeqq.* Dubium in hoc Caſu, ubi debetur ſolutio Talerorum in Specie, eorumve in alia Moneta valore. Rationes, ex quibus per ultima verba diſpoſitio videtur reſtriſta ad valorem tempore erecti Inſtrumenti uſitatum.
7. Deciditur, Taleros eſſe ſolvendos juxta valorem modernum. Quia Taleri in Specie non denotant valorem extrinſecum, ſed ipſa Corpora.
8. Legata non patiuntur ſtriſtam interpretationem, ſi ſatis exprimitur mens Teſtatoris. Verba Diſpoſitionum debent accipi cum effectu.
9. In oppoſita opinione voces in Specie eſſent ſuperflua, vel etiam contradicerent aliis.
10. Varia exempla obligationum, ubi reſpicitur æſtimatio tempore ſolutionis uſitata.
11. Eadem opinio confirmatur argumento à Contrario.
12. Diſpoſitio Teſtatoris eſt Lex privata, qua obſervari debet, etiamſi dura ſit.
13. Exceptio à Regula firmat Regulam in oppoſitum.
14. Favet propugnata Sententia Reſcriptum Caſareum.
15. Cui in hoc Caſu oppoſi nihil poteſt.
16. Ubi verba ſunt clara, non opus eſt conjecturis.
17. In adverſa ſententia vel contraditio admittenda eſt, vel ſuperſtitas. Legata annua habentur pro pluribus, & per ſingula Jus capiendi inſpicitur.
18. Fundator facile prævidere potuit augmentum extrinſecum Talerorum, ſi autem prævidiſſet decrementum bonitatis intrinſeca monetarum, adhuc magis præcaviſſet Legatariis.
19. Hæres liberaliter inſtitutus non debet conſiderari de portione aliis relicta.
20. Voces in Specie non demonſtrationis, ſed diſpoſitionis gratiã Monetis adſciuntur.
21. Singulis favere voluit Fundator: hinc commodum etiam ad ſingulos pertinet.
22. Solutio multis annis obſervata oſtendit, quid debeat.
23. Opinio Doctõrum de reſpiciendo valore moneta, qui fuit tempore obligationis contracta, quo ſenſu ſit vera?
24. Colliguntur dicta in Summam.

FACTI SPECIES.



I. Eluſſimus, ac Reverendiſſimus S. R. I. Princeps Paris, ex Comitibus de Lodron Archi-Epiſcopus Salisburgenſis piſſimæ memoriæ, cum ſciret, ex communi eorundem Dominiorum apud plures exiſtente Regimine ſæpenumero multas oriri controverſias, diſcordias, & ſcandala, cum detrimento quietis publicæ, & boni communis, horum periculum ſublaturus, proviſurisque tum ſuorum ex Fratre Chriſtophoro Nepotum, atque ab his deſcendentium, tum etiam ſubditorum inter ſe concordia, & incolumitati, in Dominiis Caſtellani, & Caſtri Novi, Bonisque aliis, quæ tum temporis ipſe, & dictus ejuſdem Frater Chriſtophorus, tanquam Feuda ab Eccleſia Tridentina dependentia, pro indiviſo poſſide-

bant, cum authoritate Sedis Apoſtolicæ, & Auguſtiſſimi Imperatoris ratificatione, Anno 1651. Jus Primogenituræ perpetuæ introduxit.

In Inſtrumento, quod dicto Anno de ſuper fecit confici, voluit, ut præſati Fratris ſui Chriſtophori filius ſecundogenitus Comes Paris, ejuſque, ſi quos habiturus eſſet, Fratres ultra-geniti, horumque Deſcendentes Maſculi, & ſucceſſive alii Comites Lodronii, cum in prædicta Feuda, & Dominia actualiter ſuccedent, portiones, ſeu partes, ad ipſos in gubernatione ſubditorum, & administratione Juſtitia in memoratis Dominiis ſpectantes, unã cum honoribus, prærogativis, emolumentis &c. Fratri Primogenito, Comiti Franciſco Nicolao, ejuſque in Primogenitura Succeſſoribus cedant, & huic, ſeu his ſolis gubernationem, & exercitium Jurisdictionis (quod per ſe, vel per alios Deputatos facere licebit) relinquunt, ita tamen, ut

ut prædictus Comes Franciscus Nicolaus, ejusque in Primogenitura Successores Proclamata, & Mandata, quæ ad gubernationem, seu administrationem dictarum Jurisdictionum pertinent, & occasione occurrente fieri necesse, vel utile erit, semper non suo tantum, sed & aliorum Comitum, actu Interesse habentium nomine, facere, & promulgare teneantur.

3. Fecit tamen idem Celsissimus Primogenituræ Institutor discrimen inter Dominia Castellani, & Castri novi. In Districtu Castellani Primogenito, ejusque in Primogenituræ Successoribus attribuit omnia emolumenta, redditus, & proventus cum Juribus venandi, piscandi &c. permittit tamen, ut in casu, quo contigerit, quod Primogenitus, pro tempore Regens, in aliis Regionibus residentiam suam ordinariam constitueret, durante hujus absentia, secundo - & ulterius geniti pro ipsorum Recreatione Venationes, & Piscationes exercere possint, dummodo ipsi iisdem Recreationibus personaliter assistant, & in illis moderatè se gerant, ita, ut dictæ Venationes, & Piscationes in bono statu conserventur. Contra verò Decimis, Venationibus, Piscationibus, aliisque bonis, fructibus, redditibus, emolumentis quibuscunque, quæ ex Castelli Novi fundis, Domibus, Censibus, Præstationibus, aliisque Feudalibus, vel Allodialibus bonis, aut Juribus, quacunque ex causa, & occasione provenientes, percipiunt, vel percipi possunt, integrè, & sine ulla diminutione omnes Comites, actuale Jus ad supra dicta habentes, pro sua parte quemcunque frui, & gaudere permittit.

4. Iisdem DD. Comitibus etiam dedit potestatem, ut, quotiescunque Officium Vicarii, seu Judicis Ordinarii vacare contigerit, infra terminum unius Mensis tres idoneas personas Primogenituræ Possessori pro dicto Officio Judicis nominare, & præsentare possint, ac debeant, qui ex his attentò majoris partis reliquorum Comitum suffragiorum numero unum in Judicem eligere, deputare, & declarare tenebitur, eumque, si Officio suo ritè sit functus, de triennio ad triennium confirmare valeat; si verò iste post unum, vel alterum triennium amovendus ab Officio videatur, hujus locò alium, ex tribus, ut antea, à cæteris DD. Comitibus præsentatum, à Primogenito eligendum, Officio huic præficiendum.

5. Ut verò hi DD. Comites, utpote Jurisdictionum dictarum actuales Condomini, ratione cessorum Jurisdictionalium proventuum, & emolumentorum compensationem quandam haberent, idem Celsissimus Primogenituræ hujus Institutor expressè disposuit, ut, quamdiu hujusmodi cessio exercitii Administrationis, Jurisdictionis &c. ad favorem Primogeniti solus duraverit, quivis pro tempore Primogenituræ Possessor perpetuis futuris temporibus teneatur, ex omnibus, &

singulis fructibus, quos ipse ex ejusdem Primogenituræ Bonis, & nominatim ex Dominio Gamundensi, in Carinthia sito, hujusque pertinentiis perceperit, in primis, & ante omnia singulis annis 4000. Talerorum Imperialium in specie, vel in alia moneta his partibus usitata, & quoad valorem æquali separet, hæcque summa inter ipsum Primogenitum, & cæteros Condominos Agnatos, de Legato ipso participantes, dividatur, ita, ut singuli, & quilibet eorum juxta partes, & portionem Juris, & Interesse, quod in dictis Dominis, & administratione Jurisdictionis ibidem habituri sunt, hujus assignationis sentiat commodum. Verba formalia sunt: *Ante omnia singulis annis 4000. Talerorum Imperialium in Specie, eorumve in alia his partibus usitata Moneta valore extrahentur, & aequalibus portionibus dividantur.* Quidquid verò præfatum Dominium Gamundense cum Bonis incorporatis, aut in futurum incorporandis ultra prædicta 4000. Talerorum annuatim reddiderit, id omnè declaravit spectare ad solum Primogenituræ Possessorem, ita, ut ipse de his pro libitu, & placito suo disponere possit.

6. Circa obligationem solvendi hæc 4000. Talerorum annua unicum Limitationem, seu Exceptionem adjecit Celsissimus hujus Primogenituræ Author, scilicet, si omnes prædicti Reditus propter Belli incommoda, sterilitatem unius, vel alterius anni, aut alias temporum injurias ad Summam 4000. Talerorum aliquando non pervenerint, vel non integrè ex quocunque accidente, sine culpa tamen Possessoris, ex Redibus unius anni levari possent; tunc enim voluit, ut tam Primogenituræ Possessor, quam alii Comites Interestati, unusquisque pro rata suæ portionis damnum eveniens pati debeant: ubi tamen simul etiam cavet, in casu, quo sterilitatem, & deperditionem fructuum unius, vel plurium annorum, sequentium annorum exuberantia compensaret, non tamen propterea Primogenituræ Possessorem obligatum iri ad id, quod de portione cuius aliis ex prædicta 4000. Talerorum Summa ob hanc defecit, aliis annis, quibus copiosiores proveniunt fructus, supplendum.

7. Tempore Instrumenti Primogenituræ istius erecti, nempe Anno 1651. Talerus Imperialis in Specie non plus valuit, quam 1. fl. & 30. Cr. Successu autem temporis auctus est ejus valor, & quidem Anno 1682. Auctoritate Cæsarea crevit ille ad 1. fl. & 45. cr. Anno autem 1695. omnino ad 2. fl. quem valorem hodie dum habet. Proinde orta est Quæstio, an Primogenituræ Possessor hodiernus Legatum hoc annum solvere teneatur in valore, quem nunc Talerus Imperialis in Specie habet, an verò in valore, quem ille habuit tempore relicti hujus Legati anni. Super hoc dubio Illustrissimi DD. Comites, Castrorum Quæstionis Condomini, adierunt Augustissimum Imperatorem Leopoldum,

dum, & ad oblatas demiffissimas preces obtinuerunt Cæsaream Declarationem de solvendis 4000. Taleris Imperialibus in Specie, quos etiam Ministri Gamundenses, perque hos Illustrissimus Dominus Comes Wenceslaus, hodiernus Primogenituræ Possessor, sine ulteriori repugnantia, usque ad novissima ista tempora præstitit; nunc verò solitam hæcenus solutionem renuit, & pro Talero Imperiali in Specie offert unum duntaxat Florenum, & triginta Crucigeros, juxta valorem scilicet Taleri Imperialis, quem iste habuit tempore conditi Instrumenti hujus Primogenituræ. Proinde est in hoc Casu

Quæstio Principalis.

*An Primogenitura hujus Possessor satisfaciat, si Legatum istud annum solvas in alia Moneta secundum valorem, quem Talerus Imperialis tempore facta Dispositionis habuit?*

8. **S**I in præsentī Casu Celsissimus hujus Primogenituræ Institutōr expressè statuisse, ut solverentur 4000. Taleri Imperiales in Specie, sine additis verbis, *Eorūve in alia Moneta his partibus usitata valore*, certum foret, solutionem in hujusmodi Taleris in Specie faciendam esse, sive dein valor Taleri Imperialis extrinsecus tempore solutionis creverit, sive decreverit; nam tunc augmentum, vel decrementum, damnūque ex isto, & lucrum ex illo pertineret ad Creditorem,

prout in Thesi docent Bartolus, Abbas, Covarruvias, Philarchus, Antonius Faber, Molina, Layman, Rebellus, Tondutus, Gonzalez, Fridericus Martini, Pirhing, Wiefner, à me cit. in meo Oper. Can. ad Libr. 3. Decret. tit. 39. n. 17. Quia Contractus ex conventionē Legem accipiunt. Reg. 85. in 6. & invito Creditore, aliud pro alio solvi non debet. *L. mutuum. 2. §. mutui. 1. ff. de Reb. credit.* Et hinc, si Debitor non habet in tempore, quod solvat, Judex ipsum ad æstimationem ejus, quod interest, condemnare teneatur. *Auth. hoc nisi. C. de Solution.*

9. Exemplum est in Mutuo Vini; nam si quis Vinum alteri mutuum dedit, ea conditione, ut iste tempore convento iterum aliud Vinum ejusdem quantitatis, bonitatis, & qualitatis restituat, debet istud restituere in eadem quantitate, bonitate, & qualitate, neque interest, an illud caro, vel levi stet pretio.

*L. vinum. 2.2. ff. de reb. credit.*

Ubi expressè habetur, quòd Debitor vini, si istud in natura prestare nequeat, ejusdem æstimationem, & hanc quidem juxta tempus, quo illud solvi debuit, prestare teneatur. Simile exemplum reperitur

*R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.*

*L. siquis. 35. C. de Donation.*

Ubi Imp. Justinianus, *siquis*, inquit, *argentum donaverit, certūque pondus nominaverit, non autem aliās, vel generaliter, vel specialiter expresserit, necessitatem ei imponimus omnimodo præfatum pondus argenti dare, sive in vasis, quibus voluerit, non tamen pejoribus æstimatione Massa, sive in ipsa æstimatione, qua pro massa rudi in illis locis frequentata est.* Sique tale pondus in vasis, aut massa rudi ob defectum talis materiæ restitui nequeat,

juxta *l. cum certum. 9. ff. de aur. arg. leg.*

**pretium NB. præsentis temporis** (nempe solutionis faciendæ) *prestari debet.* Idem est in casu, quo certa quantitas, & species frumenti legata est; tum enim, non attento pretio crescente, vel decrescēte, semper eadem quantitas, & in eadem specie præstanda est.

Eadem autem, quæ de præcedentibus, ratio est de Casu, quando de præstando, vel restituendo specifico nummo conventum est. Igitur idem quoque de hoc, quod de illis, Jus erit,

ut cum Molin. *rom. 2. de J. & J. D. 312. n. 7.* tradit Besold. *conf. 61. n. 13. & conf. 63. n. 136.* qui ibidem plura Præjudicia Cameralia, de Anno 1537. 11. Decemb. de Anno 1586. 16. Sept. de Anno 1620. 7. Mart. pro ista Sententia affert, & eodem Argumento utitur.

Proinde in Casu, quo Titius Cajo dedit mutuos 100. aureos in Specie, eā conditione, ut restituat alios 100. in Specie, tenetur stare Conventionē, sive deinde pretium extrinsecum aurei interea creverit, sive decreverit; nam in Casu decrementi lucrum erit Debitoris, in casu verbò augmenti Creditoris; sique damnū hic, vel ille exinde patiat, sibi hoc imputare debet, quòd legem clariùs sibi non dixerit, cum potuerit,

*L. veteribus. 39. ff. de Pact.*

debuissetque cautius mercari, cum paciscentibus tempore Contractus liberum sit Pacta aliās licita (prout esset, quod fieret, excluso damno, quod alteruter contrahentium sentiret ex auctione, vel diminutione pretii Monetæ) inire pro suo arbitrio.

Volunt quidem hic aliqui disparitatem esse inter Casum, quo vinum, oleum, lana, vel alia res usu consumptibilis mutuo datur, & inter Casum, quo datur mutua pecunia. Nam, ajunt, cum datur Vinum eā conditione, ut convento tempore iterum Vinum ejusdem quantitatis, qualitatis, & bonitatis restituatur, pro objecto habetur pretium vini non extrinsecum, sed intrinsecum, neque consideratur, an caro, vel levi stet pretio, sed attenditur ad hoc, ut mutuans ejusdem quantitatis, & qualitatis Vinum obtineant, prout ipse dedit; & hinc non est satis, si Mutuatarius Mutuanti tantundem pecuniæ solvat, quanti constituit Vinum tempore dati Mutui; quia aliud

P

IO.

II.

pro alio invito Creditori non obtruditur. Aliud esse dicunt in Mutuo pecuniæ; nam in hac non pretium intrinsecum, sed extrinsecum argenteæ Monetæ, quod scilicet ex Decreto Principis, vel Reip. habet, consideratur: consequenter, si quis alteri det mutuos 100. fl. in solidis Taleris, secluso alio Pacto, satis est, si Debitor ei tempore convento reddat alios 100. fl. sive deinde hoc faciat in solidis Taleris, sive in alia pecunia; neque enim, si in alia Moneta solvat, per hoc aliud pro alio solvisse censetur, quippe cum in nummis non tam substantiæ, quam potestatis, seu æstimationis ratio habenda sit.

*L. origo. 1. princ. ff. de contrah. empt.*

Verum hæc disparitas locum duntaxat habet in casu, quando in Mutuo pecuniæ non est expressè conventum de reddenda certa Specie pecuniæ, ut communiter textum *leg. cit.* intelligunt Interpretes, & DD.

12.

Proinde in casu, quo conventum est de debito solvendo in eadem Specie pecuniæ, modò talis Specie adhuc extet, & facile haberi possit, standum est Conventione, & in eadem Specie solvendum est debitum, vel si solvatur in Moneta alia, hoc faciendum est in ea quantitate, quam secundum pretium extrinsecum tempore solutionis conficeret quantitas Corporum debitorum,

ut notat Berlich. *p. 2. concl. 36. n. 49.* Et sic in Hypothesi *Num. 8.* datâ, scilicet, si in Casu præsentis Celsissimus hujus Primogenituræ Institutor expressè statuisset, ut solverentur 4000. Taleri Imperiales in Specie, sine additis verbis, *Eorûmve in alia Moneta his partibus usitatâ valore*, solutio faciendâ esset in hujusmodi Taleris in Specie, vel si in alia Moneta, hæc adæquare deberet pretium illorum, quantum de præsentis 4000. Taleri Imperiales in Specie habent, scilicet in 8000. fl.

13.

Similiter satis certum esset, quòd, si idem Celsissimus statuisset, ut Agnatis Primogenituræ Possessor solveret annuos Taleros 4000. sine addito *in Specie*, ille obligationi suæ satisfactorius esset solvendo 6000. fl. Tantum enim conficiunt 4000. Taleri, simpliciter prolati, in communi, & hodierna etiamnum acceptione hominum, apud quos Taleri simpliciter prolati nomen his etiam temporibus plus non significat, quàm 1. fl. 30. Cr. Unde hoc Casu non esset considerandum augmentum hodiernum Taleri in Specie, juxta quod valor illius excrevit ad 2. fl. Deducitur ex communi, & veriori doctrina,

quam contra Bartol. Covar. Tiraquell. Albert. Brun. Ant. Fab. Az. Fachin. Fagnan. à me *cit. ad Libr. 3. Decret. tit. 39. n. 22.* Tenent Sylv. Sot. Petr. Navarr. Ifan. Medin. Joann. Fab. Carol. Molin. Frider. Martini. Mynsing. Rebell. Fill. Molin. Laym. Pirh. Wiestner allegati *l. cit. n. 24.*

ex quorum Sententia in casu, quo absque designatione certæ speciei, vel designatâ qui-

dem certâ specie, non tamen numero certo, in pactum deducta est certa pecuniæ quantitas, & postea extrinsecus Monetarum valor auctus, vel diminutus est, id augmentum, vel decrementum cedit commodo, vel incommodo Debitoris, qui proinde satisfacet, si solutionem præstet in ea quantitate, quantum Moneta debita tempore obligationis contractæ fecit.

Videantur, quæ circa hanc Quæstionem dixi *l. cit. n. 21. & sex seqq.*

Contra verò, si Celsissimus Disponens expressè statuisset, ut solverentur Agnatis annui Taleri 4000. secundum æstimationem, quam Talerus habiturus est tempore solutionis, iterum certum esset, quòd modò solvendi sint 8000. fl. nam tunc tempus istud, & æstimatio, quam eo tempore habebit, consideranda erit: atque adeò, cum modò Talerus in Specie valeat 2. fl. non satisfacet obligationi suæ Primogenituræ Possessor, si solvat tantum 6000. fl. Neque injustum est Pactum istud, quippe per quod uterque tam Creditor, quam Debitor æqualem spem lucri habet, & æquali periculo damni exponitur; sicut enim diminuto pretio extrinsecò Monetæ, minuitur obligatio Debitoris, & Creditor contentus esse debet, si solutio ipsi fiat juxta pretium Monetæ currens, ita Creditoris obligatio crescit, crescente pretio, & secundum hoc Debitor jure suo petere solutionem potest. Quia verò Celsissimus Institutor nullum ex his tribus modis simpliciter tenuit, & postquam Primogenituræ Possessori injunxit, ut *singulis annis 4000. Talerorum Imperialium in Specie solvat*, addidit verba, *Eorûmve, in alia his partibus usitata Moneta, valore*, quæ verba videntur priorem Dispositionem limitare, hinc oritur

## DUBIUM.

*An Celsissimus Primogenituræ hujus Institutor per verba modò allegata intenderit Dispositionem suam restringere?*

Dubium hoc ex Conjecturis est decidendum. Hodiernus Primogenituræ Possessor stat pro Affirmativa. Argumenta, quibus nititur, sunt apparenter firma.

1. Quia in hujusmodi controversis circa Testamenta, & Ultimas Voluntates Quæstionibus ante omnia mens Testatoris est attendenda, atque adeò, si ejusmodi Dispositio aliquo modo sit dubia, id statui debet, quod ille vi verborum, in hac sua Dispositione contentorum, verisimiliter disponere cogitabat; ubi enim verba Testatoris clara non sunt, de voluntate ejusdem quæri debet. *Arg. l. ille, aut ille. 25. ff. cum in verbis. 1. ff. de Legat. 3.*

Et verisimilis etiam Testatoris voluntas servanda est; itaque pronuntiandum, prout ille

14

15

Rationes Dubitandi

ille respondisset, si interrogatus fuisset.

*L. cum res. 47. princ. ff. de Legat. 1. & l. si cum. 10. C. de Testam. Milit.*

Imò voluntas Testatoris ipsius ejusdem verbis est præferenda;

*S. sed olim. 2. ibi. Non verbis, sed voluntatibus eorum faventes. Inst. de Legat. cum non intentio verbis, sed verba intentioni debeant deservire, ut dicitur c. in his. 15. de V. S.*

In præsentem autem Casu Celsissimus Institutor Primogenituræ istius hoc ipso, quòd reliquis Agnatis Lodroniis Condominis in sua dispositione legavit 4000. Talerorum in Specie, qui eo tempore in toto Romano Imperio plus non valuerunt, quàm 1. fl. & 30. cr. verisimiliter præsumi potest, quòd de nullo alio, quàm quem tunc Talerus habuit, valore cogitavit: quam Præsumptionem auget, quia

16.

2. Addidit verba, *Eorūque in alia his partibus usitata Monetæ valore*: ex quibus clarum videtur esse, quòd hæc Dispositio non absolute de Taleris in Specie, sed de Taleris in pretio, quòd tempore Dispositionis habuit, intelligi debeat, ex communi Sententia DD. integrum Catalogum describit

*Berlich. p. 2. concl. 36. n. 5. Et Joann. Harpprecht ad Inst. quib. mod. re contrah. oblig. num. 210. 7. at verò non desunt.*

Nam juxta hos in hujusmodi Casibus, quibus certa pecuniæ quantitas solvenda est, aucti, vel diminuti valoris extrinseci Monetæ commodum, vel damnum generaliter non ad Creditorem, sed ad Debitorem pertinet. Proinde etiam in Casu præsentem, ubi Talerus Imperialis, qui tempore Dispositionis, à Celsissimo Institutore factæ, valuit tantum 1. fl. & 30. cr. nunc in valore extrinseci crevit ad 2. fl. lucrum soli Primogenituræ Possessori, tanquam Debitori, non verò reliquis Agnatis Condominis, tanquam Creditoribus, accedere necesse est: cui tamen contrarium fieret, si Possessor Primogenituræ nunc deberet solvere 4000. Taleros in hodierno valore; nam Agnati nunc effectivè consequerentur 8000. fl. qui tamen antea solum habuerunt 6000. & sic duobus millibus plus acciperent. Consequenter, cum apud allegatos DD. ex variis fundamentis explorata res sit, quòd in casu mutati valoris extrinseci Monetæ, non secundum valorem, quem illa tempore solutionis habet, sed secundum illum, quem habuit tempore contractæ obligationis, solutio fieri debeat, legitime inferitur, in præsentem Casu Taleri Imperialis valorem considerandum esse juxta tempus erecti Instrumenti Primogenituræ, quòd est tempus contractæ obligationis, i. e. in æstimatione Taleri Imperialis ad 1. fl. & 30. cr. Crescit Præsumptio hæc, quia

17.

3. Non est credibile, quòd Celsissimus Disponens cogitaverit de Casu suo tempore incogitato, & voluerit, ut, si futuro tem-

*R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.*

pore valor Imperialis extrinsecus augetur, etiam Legatum annuum augeatur. Tempore autem Dispositionis ab ipso factæ nemo cogitavit, vel præsentire potuit, quòd Talerus Imperialis secundum valorem extrinsecum augendus sit ad 2. fl. Cum ergo ad incogitata nec supremæ hominum Dispositiones, nec alia Pacta, vel Contractus extendi debeant, ex generali Principio, juxta quòd nihil est volitum, nisi quòd cognitum est, atque adeò voluntas ad incognita non feratur, dicendum est, satisfactorum obligationi suæ Primogenitum, qui pro tempore Bonorum, Primogenituræ Jure affectorum, Possessor est, si Legatum annuum solvat in valore, quem Talerus tempore erecti Instrumenti habuit, ipsiusque Agnati hoc modo contenti esse debent, si dictum Legatum præstetur nunc in Summa 6000. fl. dividenda per æquales partes inter Primogenitum, & reliquos Agnatos Condominos. Accedit, quia

18.

4. Neutiquam præsumi potest, quòd Sapientissimus hujus Primogenituræ Institutor voluerit Primogenitum, hujusque in Primogenitura Successores, quos præ cæteris Agnatis amasse, & honorasse censendus est, adeò gravi, & perpetua obligatione onerare, & obstringere, ut, quantum valor Taleri in Specie temporibus futuris creverit, etiam crescere eorundem obligatio, & Legati quantitas debeat; cum enim annui Taleri 4000. accipiendi sint ex emolumentis Jurisdictionalibus, contingere facile, & sæpe posset, ut hoc modo iidem Primogenituræ Possessores notabile omnino damnum deberent pati: imò isti damnum hoc defacto jam paterentur; nam, licet ad 2. fl. auctus nunc sit valor Taleri, subditi tamen, & Vasalli non secundum hunc, sed secundum antiquum ejusdem per 1. fl. & 30. cr. æstimati valorem onera sua pecuniaria præstant: deberent ergo iidem Primogeniti nunc plus dare, licet nunc non plus, quàm antè, accipiant, quòd Justitiæ Commutativæ, quæ æqualitatem inter acceptum, & reddendum exigit, repugnare videtur. Quare præsumi non potest, quòd Celsissimus Disponens, qui in aliis Passibus specialiter Primogeniti indemnitati respectu aliorum casuum fortuitorum emergentium, ut sterilitatis unius, vel plurium annorum, consulere voluit, intenderit, ut crescat valor Legati annui in casu, quo non crescunt emolumenta, intuitu quorum cessorum solutionem dicti Legati præstari voluit. Sicut ergo emolumenta ista, aucto valore Taleri, non creverunt, ita neque quantitas istius Legati, quòd in compensationem cessæ Jurisdictionis, & emolumentorum ex hac promanantium adjudicatum est, crescere, & augeri debet. Certè, si Celsissimus Institutor hoc prævidisset, etiam expressisset, & mentem suam declarasset in favorem Primogeniti, ut in aliis passibus. Præterea

P 2

5. Si

19.

15. Si Celsissimus Primogenituræ Author voluisset, ut Legatum istud præstaretur in Taleris in Specie, hoc expressisset, & præcepisset, ut in casu, quo tot Taleri in Specie in promptu non sunt, ij per aliam Monetam comparantur, & Agnatis solvantur. Hoc autem nusquam præcepit, sed expressè statuit, ut in defectum Talerorum in Specie præstetur alia Moneta Usualis, ut patet ex verbis Num. 16. allegatis. Neque obest, quòd immediate ante hæc verba idem Celsissimus loquatur de Taleris in Specie; nam de his solum in uno loco, & quidem non simpliciter, sed disjunctivè duntaxat meminit, in cæteris verò locis Dispositionis suæ omittit Clausulam in specie, ut patet ex §. ut etiam de hac, ubi per Formalia præcipit Oeconomo, seu Executori, ut supra dictam Summam 4000. Talerorum singulis annis juxta factam superius assignationem in dictam Cassam (scilicet, in qua assignantur pecunie in Legatum hoc expendendæ) sine mora, aut tergiversatione successivè, prout intraverint, statim deponere debeat: atque adeò verba in specie tantum demonstrationis, non autem Dispositionis gratià apposita videntur. Consequenter hic locus erit Regulæ sumptæ ex

L. cum dos. l. §. si quis. 8. ff. de Dot. præleg. ubi Ulpianus,

Quidquid, inquit, demonstrata rei additur satis demonstrata, frustra est: nec immeritò; nam Demonstrationes rerum, & hominum significandorum causâ inventæ sunt, de quibus si alio modo constet, Demonstratio est inutilis.

L. Demonstratio falsa. 17. ff. de condit. & demonstrat. l. etiamsi. 2. & fm. C. de fals. caus. adjecti.

20.

6. Posito etiam, quòd Disponens voluerit, ut Taleri in specie, in promptu habiti, vel, his deficientibus, pro alia Moneta comparati, solvantur Agnatis, tamen hæc Ordinatio tantum deberet intelligi quoad valorem, quem habuerunt tempore Dispositionis, ita, ut aucto Taleri pretio, satisfiat per pauciores, ne contra Disponentis mentem gravetur Primogenituræ Possessor, cujus præcipue favorem idem Disponens in hac sua Dispositione considerasse videtur, ut patet ex eo, quòd in casu, quo successu temporis Dominio Gamundenfi accrederent alia Bona, & Reditus, non tamèn plus, quam 4000. Taleros annuos solvi Agnatis voluerit: ut adeò, si talis novorum Bonorum incorporatio non fieret, sed tantum augetur Talerorum in Specie valor extrinsecus, eundem Possessorem gravare voluisse censeri non debeat, ne favor, qui unâ viâ intenditur, aliâ viâ actu retorquetur in odium. Contra quæ Argumenta omnia

21.

7. Non obstat, quòd isti 4000. Taleri antehac fuerint annuatim soluti etiam post auctum Taleri in specie pretium in 8000. fl. nam noti Juris est, quòd errore veritas non

immutetur. Accedit, quia Primogenituræ Possessor eandem Primogenituram solutione largiori, quam Jus, & æquitas juxta mentem Legantis postulet, nullo modo gravare, tamque notabile præjudicium Successoribus, utpote qui causam ab eo non habent, afferre potest. Denique solutio hæc largior non fuit perpetua; nam Comes Nicolaus Lodronius Primogenituræ hujus Possessor, ut ex Libro Rationum constat, Fratri suo Comiti Paridi, qui solus tum cum Nicolaò participabat de Legato hoc annuo, solum 3000. fl. pro hujus parte virili solvit, etiam postquam Anno 1682. Talerus Imperialis in specie, interpositâ autoritate Imperatoriâ ad 1. fl. & 45. cr. & Anno 1695. omnino ad 2. fl. valere incepit: atque hac solutione Comes Paris contentus fuit, licet illa commensurata fuerit duntaxat valori, quem Talerus in specie tempore conditæ Primogenituræ, scilicet 1. fl. & 30. cr. habuit; atque adeò ille facto suo proprio sensum Formalium Instrumenti, quòd 4000. Taleri non secundum hodiernum, sed pristinum conditæ Primogenituræ eorum valorem solvendi sint, ipsemet agnovit. Et verò

8. Quòd Celsissimus Testator non ita strictè voluerit accipi 4000. Talerorum solutionem, injunctam a se Primogenito, ut futuro Successori Primogenituræ istius imposuerit onus, & obligationem solvendi illos in pretio, tempore solutionis, currente, ex verbis, Eorumque in alia, his partibus usitata, Monetâ valore, collegerunt tres Inclitæ Facultates Juridicæ, Pragensis, Ingolstadtensis, & Salisburgensis, quarum Responsa consensu in hoc conspirant, quòd hodierni Agnati, de hoc Legato annuo participantes, contenti esse debeant, si dicti 4000. Taleri in alia Moneta secundum valorem antiquum Taleri per 1. fl. & 30. cr. adeoque 6000. fl. solvantur à Possessore, Primogenituræ Questionis.

Verum contra hæc Responsa Agnati Collegarii reclamant, contenduntque, quòd ex voluntate Celsissimi Disponentis defecto ipsis debeantur 4000. Taleri Imperiales in specie, vel saltem in alia Moneta ejusdem valoris, quem isti nunc habent, adeoque in 8000. fl. quorum intentionem judico tum in voluntate Testatoris, tum in ipsa Juris ratione esse fundatam.

Nam 1. Celsissimus Institutor istius Primogenituræ hujus Possessorem obligavit ad annuos 4000. Taleros, non simpliciter, sed in specie tales, solvendos Agnatis Condominis, per verba formalia, Ante omnia singulis annis 4000. Talerorum Imperialium in specie &c. quæ verba clarè patrocinantur intentioni Agnatorum; nam voces in specie juxta universalem, & communiter inter homines receptam acceptionem, in materia pecuniaria non valorem Monetæ extrinsecum, prout aliàs fit, quando talis pecunia simpliciter, & sine addito in specie solvenda injun-

22.

23.

Rationes Decidendi

gitur, sed certam pecuniæ fortem, seu ipsa corpora certarum Monetarum important, ut cum communi notat Besold. *Theaur. pract. V. Thaler. §. Verba Harte Thaler.*

Quando autem verba Dispositionis sunt clara, quaestio locum non habet.

*L. ille, aut ille. 2. §. Si cum in verbis. 1. ff. de Legat. 3.* ubi Paulus Juris Consultus *Cum in verbis, inquit, nulla ambiguitas est, non debet admitti voluntatis quaestio.*

Proinde non apparet, quomodo à propria significatione harum Vocum *Talerus in Specie* recedi, & locò Corporum solvendorum, expressorum in Instrumento, solum valor eorum extrinsecus secundum hujus variationem à Primogenituræ Possessore Creditore Agnatis solvi possit, cum in Jure exploratum sit, quod verba in proprio ipsorum sensu, & cum effectu accipi debeant.

*L. si per alium. §. Si docere. 2. ff. ne quis eum, qui in Jus vocabitur.*

Nec à tali verborum significatione recedi debeat, nisi manifestum sit, Disponentem sensisse aliter, vel aliud.

*L. non aliter. 69. ff. de Legat. 3.*

Unde  
24. 2. In Casu præsentis non obstat Regula, sumpta ex

*L. cum servus. 39. §. scio. 6. ff. de Legat. 1.* juxta quam Legata strictè interpretanda, & ad id, quod minus est, restringenda sunt; nam hoc procedit tantum in Casu dubio, qualis ibi ab Ulpiano in factò refertur, ubi Testator ex duobus fundis ejusdem nominis, sed inæqualis pretii, unum illorum, absque speciali designatione legavit, in quo casu rectissime pronuntiavit Jctus, præsumi *utique minorem eum legasse, si majorem non potuerit docere Legatarius.* In nostro autem Casu ipsa Litera Celsissimi Disponentis expressa determinatè docet, non quemcumque Talerum, sed *in specie* talem, nec aliam Monetam, quam eidem æquivalentem, quotannis solvendam, legatam fuisse. Igitur Legatum adhuc hodie in obligatione, & debito est, & quidem ita, ut debitum hoc solvatur in Taleris Imperialibus in specie, vel in alia Moneta his quoad pretium eorum currens æquivalente: consequenter non satis est, si solvantur secundum pretium, quod illi tempore Dispositionis à Celsissimo factæ habuerunt; sic enim aliud pro alio, imò minus, quam debitum est, solveretur, quod invito Creditore fieri non potest.

*L. Muruum. 2. §. Murui datio. 1. ff. de reb. credit.*

Imò, si hoc sufficeret, verba *in specie*, à Celsissimo Disponente expressa, forent omnino superflua; nam suffecisset, si Celsissimus Institutur dixisset, Primogenituræ Possessorem teneri annuatim ex Redibus solvere Agnatis Condominis 4000. Taleros: quo casu idem Agnati deberent etiam nunc esse contenti 6000. fl. quippe quàm Summam con-

ficiunt 4000. Taleri, sine addito *in Specie*, & simpliciter prolati. Cum ergo in Jure clarum sit, quod verba Dispositionum, præsertim ultimarum cum effectu aliquo accipi, & operari aliquid debeant,

*L. si quando. 109. princ. ff. de Legat. 1.* Bartol. ad Rubric. Cod. de contrab. Empt. §. 9.

vi adjectionis istius *in Specie* Primogenituræ Possessor obligatus esset ad solvendos 4000. Taleros in Specie; nec per solutionem valoris satisfaceret Agnatis, ut Clausula hæc *in Specie* aliquid operetur. Quia tamen laudatus Celsissimus statim subjunxit verba *Eorumve in alia his partibus usura Moneta valore &c.* in arbitrio Primogeniti relinquit, utrum velit Legatum hoc annuum solvere in Taleris *in Specie*, an verò in alia Moneta ejusdem valoris, & quidem illius, quem Talerus habebit tempore solutionis; nam

25. 3. Per verba modò allegata, si illa, ut hodiernus Primogenituræ Possessor contendit, electionem darent Primogenito, ut Legatum hoc solvere possit vel in 4000. Taleris *in Specie*, vel in alia Moneta secundum valorem Taleri, quem iste tempore conditi Instrumenti Primogenituræ habuit, hujus Fundator immediatè, atque in continenti sustulisset, quod in proximè antecedentibus verbis concessit, sicque manifesta exurgeret Contradictio; vel saltem superfluitas verborum *in Specie*, cum nullam inductura fuissent obligationem ex parte Primogeniti ad solvendos tot Taleros *in Specie*, pro illo præsertim casu, quo, ut nunc, auctum esset extrinsecum eorum pretium; nec enim homines adeò liberales esse assolent, ut obligationem, cui satisfacere possunt per 6000. fl. redimant per 8000. fl. à se solutos. Cum ergo verba, quæ dubii sensus sunt, in Dubio interpretanda, & intelligenda sint ita, ut nulla eveniat contradictio, vel superfluitas, etiam in præsentis Casu talis interpretatio faciendâ est. Vitabitur autem omnis contradictio, & superfluitas, si hæc Formalia Instrumenti dicantur ita intelligi debere, quod scilicet Celsissimus Primogenituræ Author futuros in eadem Successores per priora verba juxta formalem illorum sensum ad præstandos 4000. Taleros in Specie obligare, per posteriora autem & adjecta verba in id Dispositionem suam limitare voluerit, ut, si tot Taleros in Specie aut omnino non, aut difficulter obtinere posset, ei licitum sit in alia Moneta, idem pretium, quod Talerus in Specie pro tempore solutionis habiturus est, faciente obligationem suam implere.

*Arg. l. non Dubium. 14. §. sed si cui. 2. ff. de Legat. 3.*

ubi dicitur, quod, si Species aliqua, vel res aliena legetur, & illa haberi non possit, tunc Debitor solutione æstimationis liberetur. Tenetur ergo Primogenituræ Possessor, si 4000. Taleros *in Specie* præstare non possit, vel non velit, in alia Moneta Collegata-



riis tantum dare, quantum habituri essent, si præstarentur 4000. Taleri in Specie. Atqui, si in Specie 4000. Taleri solverentur, haberent non tantum 6000. sed 8000. fl. considerato, quod nunc habent, pretio eorum extrinsecò. Igitur, si horum Talerorum in Specie solutionem facere vult in alia Moneta, similiter non 6000. sed 8000. fl. præstare debet; nam hi posteriores, non priores quoad pretium æquivalent 4000. Taleris.

26.

4. Accedit, quia in Jure satis clarè proditum est, quòd, si quis ad solutionem certæ rei in Specie obligatus est, hanc rem autem in Specie obtinere nequit, Creditori æstimationem illius, quam tempore solutionis habet, præstare debeat. Exemplum est i. in Vino mutuo dato, cujus Debitor, si illud in natura præstare non possit, ejusdem æstimationem, & quidem non illam, quam habuit, quando deberi incepit, sed eam, quanti tunc fuisset, -- cum petitur esset, h. e. juxta tempus, quo solvi debuit, præstare tenetur.

*L. vinum. 22. ff. de reb. credit.*

2. In certo pondere v. g. auri legato; nam si hoc Debitor non in natura, sed locò hujus æstimationem illius præstare velit,

juxta *l. cum certum. 9. ff. de aur. arg. leg.*

pretium, seu æstimatio præsentis temporis, nempe quo illa solvitur, præstari debet. 3. In Casu, quò quis obligatur solvere certum numerum certæ fortis pecuniæ in Specie, quò casu ex communi DD. in ejus solutione non tam extrinsecus hujus pecuniæ valor, quam ipsa corpora talis pecuniæ deberi præsumitur. & hoc ad discrimen alterius Casus, in quo non certa fors pecuniæ, sed solum certa ejusdem summa in obligationem cadunt; nam in hoc casu magis ad pretium extrinsecum pro tempore currens, quam ad pecuniæ fortem respicitur: atque adeò in hoc posteriore casu sufficit, si detur eadem summa; in priore autem danda est Sors conventa, vel si hujus locò præstetur æstimatio, solutio faciendâ est juxta æstimationem, quam de præsentis tempore numerus certæ fortis pecuniæ debita habet. Præter ergo in Casu præsentis, ubi Possessor Primogenituræ vi verborum, *Singulis annis 4000. Talerorum Imperialium in Specie &c.* obligatur ad solvendos Taleros in Specie, si juxta licentiam per verba, *Eorumve in alia Moneta his partibus usitata valore*, illorum æstimationem præstare velit, illam præstare debet juxta præsens solutionis tempus, sive deinde major sit, sive minor illâ, quam Talerus in Specie habuit tempore illo, quò deberi incepit: ut adeò posteriora Instrumenti hic allegata verba videantur solum explicasse id, quod in hujusmodi Casibus Jure ipso jam erat provisum. Certè

27.

5. Si è converso tempore Dispositionis, à Primogenituræ Institute factæ, Talerus Imperialis in Specie valuisset 2. fl. nunc autem decrevisset ad 1. fl. 30. Cr. Primogenituræ istius Possessor nullo modo ad plus,

quam ad Corpus specificum Taleri in Specie vel ad valorem ei nunc æquivalentem se obligari permetteret, ergo vicissim nunc, ubi valor Taleri in Specie auctus est ad 2. fl. non obstante, quòd tempore conditi Instrumenti valuerit tantum 1. fl. 30. Cr. ad Speciem quoque, vel ad valorem auctum obligatum se esse prosteri debet, cum sit obligatio correlativa: correlativorum autem eadem est ratio.

*L. fin. ff. de Acceptil. l. legatum. 1. C. de indict. viduit.*

& argumentum à sensu contrario in Jure valet, quippe cum contrariorum eadem sit disciplina.

*L. solent. 6. §. sicut autem. 1. ff. de Offic. Procons. princ. Inst. de his, qui sui, vel alien. Jur. §. furtorum autem. 3. Inst. de oblig. qua ex delict.*

6. Si Primogenituræ Possessor Agnatis Condominis præstet Legatum annuum Quæstionis in Moneta æquivalente Taleris 4000. quoad pretium, quod isti habuerunt tempore erectæ hujus Primogenituræ, quarta pars 4000. Talerorum ipsis decederet; nam locò 8000. fl. præstarentur solummodo 6000, quod fieri non potest, nisi cum ingenti damno Agnatorum participantium de hoc Legato, cum liquidum sit, pauciori pecuniâ emi non posse tantum, quantum emeretur majori, qualis esset, si præstaretur Legatum in valore Talerorum in Specie, quem isti nunc habent. Contrà verò, si præstetur Legatum hoc in 4000. Taleris in Specie, vel in Moneta æquivalente quoad pretium, quod illi defuncto habent, nihil decedit Possessori Primogenituræ; nam Reditus, & Fructus naturales Bonorum Primogenituræ iidem hodie sunt cum Reditibus, & Fructibus temporis, quò erecta est Primogenitura, imò credibilis est, eos potius auctos, quam diminutos fuisse: & sicut Taleri in Specie quoad pretium extrinsecum nunc aucti sunt, ita etiam auctum est pretium rerum victualium, qui ex Bonis Primogenituræ percipiuntur, ut adeò horum pretio sufficienter compensetur id, quod ipsi decedit ex solutione Legati secundum valorem Talerorum in Specie quem isti, de præsentis habent. Et esto, non fieret hujusmodi compensatio, & Possessori Primogenituræ ex præstatione Legati secundum valorem Talerorum præsentem accresceret damnum aliquod sive parvum, sive magnum, id omne sequitur ex voluntate Institutoris, liberè disponentis de suis bonis, quæ ad amissum est observanda, cum sit Lex quædam privata, adeoque locum habeat, quod Ulpianus

*L. prospexit. 12. §. ipsa igitur. 1. ff. qui, & à quib. manumiss. ibi.*

*Quia ita verba faciunt -- quod quidem perquam durum est; sed ita Lex scripta est.* Certè

7. Si Celsissimus Primogenituræ istius Author excepisset, vel exceptum esse voluisset casum, quò Talerus in Specie quoad valorem extrinsecum augetur, etiam hunc inseruisset Instrumento Primogenituræ, quippe quem

28.

29.

quem aliquando contingere posse, facile prævidere poterat, postquam vidit, quod Talerus in specie paulò ante Primogenituram Quæstionis erectam, nempe durante Bello Suecico, insignè augmentum per aliquot annos habuerit. Cùm ergo non nisi unicam exceptionem à præstatione integra hujus Legati fecerit, nempe ut tunc æqua ejus moderatio fiat, quando vi altiori, v.g. ob sterilitatem agrorum, vel inundationem fundorum &c. nullos, aut paucos fructus nasci contigerit, præter hanc nulla exceptio est admittenda.

*Arg. l. quæstum est. 12. §. idem respondit. 43. ff. de Instrum. & Instrum. Legat.*

Idque juxta vulgatam, & receptissimam apud Juris Consultos Regulam, juxta quam *Exceptio à Regula firmat Regulam in casibus non exceptis.* Ulterius

30. 8. Pro hac sententia, & hujus Causæ specificæ firmitate fortissimè pugnat Rescriptum Cæsareum, ad instantiam omnium Agnatorum, & ipsius etiam Possessoris Primogenituræ 6. Decembr. Anno 1704. emanatum, ubi ad Relationem Comitis Josephi Antonii de Lodron proprio, & Mandatario nomine factam, was Gestalten ihme neben anderen seinen - - Bötteren, und Grafen von Lodron auf den vom Paride von Lodron gestifteten Fideicommiss Gut, und Herrschaft Omünd unà cum pertinentiis, juxta mentem erstgedachten H. Fundatoris jährlich 4000. Reichs Thaler in specie rechtlichen gebühren thäten, & additas preces, daß (Ihro Kayserl. Majestät der Lands-Hauptmannschaft in Carinthien) Gnädigst anbefehlen möchten, - - daß selbige bey so Sonnen klarer Disposition des Fundatoris wegen jährlicher Verabfolgung deren erst vorgedachten 4000. Species Reichs Thaler an den dermahligten Sequestrum die gangforderliche Verordnung thun solle, resolutionum fuit, inmassen des Supplicanten Begehren der von uns (Ihro Kayserl. Maj.) confirmirten Fideicommissarische Disposition NB. ganz Conform, und auch sonst ohne Contradiction ist, als werde (ersagte Lands-Hauptmannschaft) gehöriger Orthen hin daß fernere zuserfügen wissen, auf daß des Supplicanten Begehren allerdings deferiret, das annuum Legatum deren 4000. Species Reichs Thaler gegen Quittung ordentlich abgeföhret, und mithin dikkals denen in vorerwehnten Graf Lodronischen Fideicommiss sich befindlichen §. 5. gebührend nachgelebet werde. Proinde ipsemet Augustissimus intentionem Agnatorum, de hoc Legato participantium, de solvendis 4000. Taleris Imperialibus tanquam justam, & Dispositioni Celsissimi Fundatoris conformem agnovit, & sic hoc ipso declaravit, quòd, si Primogenituræ Possessor secundum licentiam, à Fundatore eodem sibi datam, Legatum istud solvere velit in alia Moneta, id facere debeat in quantitate æqui-

valente quoad pretium Taleri in specie nunc currens, sicut nunc istos vi Instrumenti Fideicommissarii debitos esse decidit. Sicut ergo Possessor Primogenituræ ipsemet Cæsareæ Decisioni sese submitit, eumque Arbitrum in Causa constituit, ita quoque ejusdem Clementissimæ Resolutioni parere necesse habet, cùm disputare de Principali Judicio non oporteat *l. Disputare. 3. C. de crim. Sacril.* Huic autem Argumento

9. Non obstat, quòd Mandata Principis regulariter habeant annexam Clausulam, *si preces veritate nitantur*; inprimis enim non concedet, opinor, Dominus Impetrans se falsis precibus Rescriptum hoc obtinuisse; cùm enim istud ipsi contrarium sit, potius petisset resolutionem contrariam, & sollicitasset declarationem, quâ decideretur, à se Legatum hoc solvendum tantum in æstimatione Taleri, quam iste tempore erecti Instrumenti habuit. Deinde Exceptionis de Ob-vel Subreptione beneficium,

ut notat Gaill. *l. 1. obs. 14. n. 2.*

solum competit Parti, contra quam impetratum est Rescriptum, non verò illi, quæ hoc impetravit, præsertim, si Impetrans partitionem Rescripto sine contradictione fecit, & hanc longo tempore continuavit, prout in Casu præsentis fecerunt tum hodiernus Fideicommissi istius Possessor, ejusque Antecessores per tot annos solvendo Legatum hoc annuum in quantitate Monetæ tantâ, quæ æquivalet valori, quem Talerus Imperialis tempore solutionis habuit. Denique non potest dici, quòd ulla in impetrando Rescripto isto contigerit Ob-vel Subreptio; nam ipse Impetrans, ut patet ex verbis Decreti istius *Num. prac.* allegatis, factus in Supplicatione est, Dispositionem Fundatoris de solvendis in specie 4000. Taleris esse clarissimam, & hanc obligationem Augustissimus in eodem Decreto agnovit esse conformem menti Fundatoris: ut adeò meritò idem Rescriptum indubitata vim Sententiæ, & rei judicatæ, etiam proprio facto, per solutionem, tanto, totque annorum tempore continuatam, approbatæ, cui proin contraveniri non potest, & contra quam nullum Juris remedium superest, habere censendum sit. Ex quibus omnibus, quid ad Argumenta opposita respondendum sit, facile deducitur.

Ad 1. De voluntate Disponentis juxta dicta *Num. 23.* tunc tantum institui potest Quæstio, quando aliunde, & ex ipsis verbis clarè non constat, quæ fuerit ejusdem voluntas; nam, si clara sint verba, pro indubitato haberi debet, quòd ea ipsa fuerit mens Disponentis, quam verba significant; consequenter alia interpretatio nulla admittitur ex conjecturis, nec licitum est extra evidentem necessitatem (qualis esset, si eorum in sensu proprio acceptione sequeretur manifesta absurditas, vel contradictio) verba talia impropriare, sed illa in sensu, quem

31.

32.

Respondetur ad Argumenta opposita.

ex institutione hominum obtinent, intelligi, & effectum fortiri debent,

*L. ait Prator. 3. §. hac verba. 6. ff. de negot. gest.*

præsertim, si de certa re, vel specie specialis sit facta expressio; hæc enim omnem impedit extensionem, & interpretationem, modo actus ita, ut expressum est, possit subsistere

*L. si cum dorem. 22. princ. ff. solut. Matrim.* ex ratione, quia expressiones dubiorum tollendorum causâ factæ censentur.

*Arg. l. stipulationum. 74. & l. seq. princ. ff. de V. O.*

In præsentī Casu verba sunt clara, ut ipsemet Primogenituræ Possessor in Libello Num. 30. allegato, quem suo, & Mandatario nomine Cæsareæ Majestati obtulit, ultrò fatetur; expressè enim disposuit, ut quivis p. t. Primogenituræ à se institutæ Possessor annuatim 4000. Taleros Imperiales in Specie Agnatis Condominis solvat: ut adeò intentio illius juxta dicta Num. 26. fuerit, ut solvantur ipsa corpora, & per consequens pretium, quod ista tempore solutionis habuerint eo modo, quo juxta *cir. Num.* solvendum est pretium Vini, mutuò dati sub obligatione restituendi aliud ejusdem quantitatis, & bonitatis.

33.

Ad 2. Non obsunt verba, *Eorumve in alia his partibus usitata Moneta valore*; nam continuanda hæc sunt cum prioribus, ita, ut sensus sit, quòd Celsissimus Fideicommitens voluerit à Primogenituræ Possessore annuatim numerari 4000. Taleros Imperiales in specie, vel si istos in specie aut non possit, aut non vellet solvere, eos in alia Moneta usuali, quantum tempore solutionis Taliari illi valerent, Agnatis solveret. Certè, si alia, & illa, quam hodiernus Primogenituræ Possessor præendit, fuisset mens Celsissimi Institutoris, juxta dicta Num. 24. & 25. necessariò admittenda esset in eodem Instrumento vel contradictio, vel superfluitas. Cum ergo prædicta sic explicanda erunt, ut singula effectum habeant, quem obtinebunt juxta explicationem modò propositam. Mens ergo Celsissimi ista fuisse præsumi debet, ut Legatum hoc præstetur in pretio, quod Taliari pro tempore solutionis habuerint. Quin imò, dato etiam, & non concessio, quòd idem Celsissimus aliam voluntatem in mente retentam habuerit, illa nullo modo attendi deberet; nam sibi ipsi quis imputet, fieri aliquid contra voluntatem suam, qui istam clarè non expressit, cum tamen exprimere potuisset: & facit huc Axioma Juris, juxta quod idem est non esse, & non apparere.

*Arg. l. Labeo. 7. §. Servius. 2. ff. de Supel.*

*Leg. l. duo sunt. 30. ff. de Testam. tutel.*

Illi DD. qui docent, in casu, quo post obligationem contractam variatur extrinsecum Monetæ pretium, non tempus solutionis, sed contractæ obligationis attendi debere, atque adeò inde emanans lucrum, vel dam-

num non Creditori, sed Debitori accrescere, doctrinam hanc limitant, nisi aliud vel consuetudine introductum, aut inter partes conventum sit.

*Gaill. l. 2. obs. 73. num. 2. & 9.*

Aut nisi pecuniæ magis per modum Corporum promissæ sint.

*Berlich. p. 2. concl. 36. n. 42. & seqq.*

Nam tunc juxta eundem Berlich. *l. cit.* licet Creditor ad ea corpora solvenda præcisè obligatus non sit, solutionem tamen facere in alia Moneta, si velit, debet, & potest juxta pretium extrinsecum Corporum, quod ista tempore solutionis habent: ad quam proinde doctrinam Celsissimus Fundator respexisse censetur, cum Possessoribus Primogenituræ concessit, ut pro imperatis 4000. Taleris in specie solutionem facere queant in alia Moneta ejusdem valoris. Accedit, quia in Legatis annuis (quale est præsens) certum est, illa non haberi pro uno, sed pro pluribus Legatis, quorum obligatio singulis annis noviter incipit,

*L. si in singulos annos. 4. ff. de ann. Legat.* atque adeò per singula Legata Jus capiendi inspicitur;

*juxta l. cum in annos. 11. ff. eod.*

sicut ergo in Casu præsentī 4000. Taliari annui singulis annis noviter deberi incipiunt, ita istorum valor respectu singulorum annorum computari debet: atque adeò, quamvis Talerus Imperialis in specie primo, quo Primogenitura ista erecta est, & proximè sequentibus annis plus non valuerit, quàm 1. fl. & 30. cr. cum tamen ab Anno 1695. nunc valeat 2. fl. hujus Primogenituræ Possessor solutionem coegerit facere secundum valorem præsentem, adeoque in 8000. fl.

Ad 3. Non est præsumendum, quòd Celsissimus Fundator, qui aliis providentissimus fuit, & in Politicis optimè informatus, non suspicatus fuerit, vel suspicari potuerit, Aureos, Taleros, & alias Monetas grandiores, quæ intrinsecum suum valorem servarunt, & hodieum servant, successu temporis variaturas valorem suum extrinsecum: meminisse potuit, quid paucis ante Instrumentum Primogenituræ à se erectum annis tempore Belli Suecici factum sit, ubi Talerus in specie multò plus, quàm hodie, valuit; ante oculos etiam habuit penuriam pecuniæ, ex tot, tamque diuturnis bellis, & Germaniæ, ab hostibus expilatæ, devastatione subsecutam: ex quo facile colligere potuit, propter has, vel similes, quas facile contingere posse vidit, causas auctum iri suo tempore pretium extrinsecum hujusmodi Sortium majorum pecuniæ. Et hinc credibile est, illum ad casus futuros prospexisse, & ut scirent Successores Primogenituræ, quid, & quantum in casu, quo variatio hujusmodi fieret, præstare debeant, statuisse, ut præcisè vel 4000. Taleros in specie, vel eam quantitatem alterius Monetæ, quæ idem, quòd Taliari in specie habent, pretium im-

34

portarent, quovis tempore solvant. Certè, si prævidisset, quas tum prævidere non poterat, circumstantias hodiernas, ubi Moneta hodierna in bonitate intrinseca antiquam, & illius temporis, quo Primogenitura ista erecta est, Monetam non æquat, sed multum vitiata deprehenditur, sicut hæc vitiatio, & depravatio ansam dedit, ut Talerus Imperialis Cæsareâ autoritate quoad valorem extrinsecum cresceret ad 2. fl. ita idem Primogenituræ hujus Fundator meritò præsumi potest, quòd expressè fuisset præcepturus Successoribus in illa, ut Legatum hoc solvant vel in antiquis Imperialibus in specie, vel in alia Moneta hodie currente, & in valore tam intrinseco, quam extrinseco æquivalente 4000. Taleris in specie. Igitur, cum ea censeatur fuisse mens Testatoris, quam, si ad Casum propositum fuisset interrogatus, explicaturus fuisse præsumi potest, neutiquam satisfaciet Successor in Primogenitura, si Legatum hoc præstet in Moneta hodierna, solum æquivalente valori Imperialium in specie quoad valorem suum extrinsecum, sine præstatione detrimenti, sive ejus, quod interest.

35. Ad 4. Si dicatur, quòd Celsissimus Fundator voluerit Legatum hoc solvi in Taleris Imperialibus in specie, vel in alia Moneta his æquivalente quoad pretium, quod illi tempore solutionis habent, juxta dicta Num. 28. nihil decedit Successori in Primogenitura, & si decederet aliquid, non posset conquiri, cum ita Fundator statuerit. Certè ingratitude foret magna erga Testatorem, si is, cui reliquit pinguisimam Hæreditatem liberè, & sine ulla obligatione, per hoc gravamen ab ipso sibi illatum diceret, quòd etiam alterum quendam in ejus portione participem illius esse voluerit; meritò enim talis redargui posset illis *Matth. 22. v. 13. & seqq.* verbis. *Amice, non facio tibi injuriam: an oculus tuus nequam est; quia ego bonus sum: tolle, quod tuum est.* In præsentis Casu Celsissimus Fundator utique prudentissimè proximos sibi de Familia, videlicet Fratrem, & hujus Primogenitum filium ac Descendentes ex hoc Primogenitos præ aliis honoravit; interim tamen non minus prudenter etiam cæteris suis Agnatis, ut tota Illustrissima Familia in perpetuo flore conservaretur, prodesse voluit; nam propter hunc ipsum finem Legatum istud iisdem reliquit.

36. Ad 5. Fundator in Casu præsentis, ut hætenus ostensum est, satis expressit voluntatem suam, quippe quæ, nisi contradictionem, vel saltem superfluitatem in ejusdem contextus verbis velimus admittere, eò tenentur, ut vel 4000. Imperiales in specie, vel alia Moneta, quæ quoad quantitatem valori Imperialium in specie tempore solutionis æquivalet, annuatim præstentur. Habemus ergo manifestissimum sensum Testatoris, qui proinde omnem aliam interpretationem excludit,

A. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

juxta illud, quod dixit Justinianus l. *si quis. 3. C. de Liber. praterit.* ibi, *cum manifestissimus est sensus Testatoris, verborum interpretatio nusquam tantum valeat, ut melior sensu existat.*

Certè, si verba, indubitatum sensum facientia, sine manifesta ratione, vel necessitate pro libitu juxta cujuslibet utilitatem interpretari liceret, nulla amplius dispositionum certitudo haberi posset, sed Mundus nudis opinionibus regeretur, quod tam dictu absurdum, quam Reipublicæ, & disponentium libertati præjudiciale foret. Hinc sine fundamento dicitur, quòd in Casu præsentis verba in specie tantum Demonstrationis, non autem Dispositionis gratiâ Instrumento apposita sint.

Ad 6. Favor, quem Celsissimus Disponens exhibere voluit Primogenito Nepoti, & hujus in Primogenitura Successoribus, dum statuit, ut casu, quo successu temporis Dominio Gamundensi accrescerent alia Bona, & Reditus, non tamen plus, quam 4000. Talerorum annuorum Legati nomine præstarentur, non debet tollere favorem, ab eodem Disponente intentum pro reliquis Agnatis Condominis, nec præjudicium his generare. Ingens autem præjudicium istis crearetur, si casu, quo auferantur Bona, solutio Legati ipsis fieret in pretio, quod Talerus tempore Dispositionis habuit; intendit enim Celsissimus relinquendo istud Legatum compensationem Agnatis facere ob cessionem Bonorum, & Jurium cessorum: quæ tamen compensatio exigua foret hoc modo; nam Possessor Primogenituræ præter portionem virilem ex hoc Legato augmentum Dominiorum, & sic etiam Redituum acciperet, cum quibus Legatum istud nullam proportionem haberet. Proinde idem Celsissimus prudenter ad futurum ex incorporatis Bonis augmentum & respectivè variationem Monetæ reflexionem suam potuit facere, ita ut Primogenituræ Possessori suus ex augmento Bonorum, & Agnatis suus ex augmento valoris Monetæ constaret favor.

Ad 7. Ex hætenus dictis patet, circa solutionem hujus Legati, in quantitate 8000. fl. antehac à Primogenituræ Possessore Agnatis factam, nullum intervenisse errorem, cum fuerit facta juxta mentem Celsissimi Testatoris. Unde iidem Agnati meritò se fundant in hac observantia, utpote qui in certa, per plurimos annos continuatâ, quietaque quasi Possessione solutionis Legati istius, post augmentum Talerorum in specie pretium in 8000. fl. factâ, consistunt. Quòd Dominus Comes Paris à Domino Fratre suo pro parte sua virili tantum acceperit 3000. fl. nihil refert; quia in libera eorum potestate residebat invicem amicabiliter pacisci pro placito, fraterque fratri facile quid indulgere, & Legatum vel omnino remittere, vel pro parte illud relaxare potuit: in quo tantum sibi, non verò tertio, seu futuris Successoribus poste-

37.

38.

Q

ris

ris præjudicârunt, quippe qui causam, & Jus non à priore Primogenituræ Possessore, sed immédiatè ab ipso hujus Institutore habent, ut cum aliis rectè notat Knipschildt de

*Fideicommi. Famil. Nobil. c. 8. n. 18.*

Nemo autem factò suo Juri tertii præjudicârè potest.

*L. factum. 155. ff. de R. J.*

Alii Primogenituræ Possessores, ut præfertur, semper, & ipse etiam Dominus Comes Wenceslaus Lodronius per aliquot annos totam Summam 8000. fl. quam auctum Taleri in specie pretium confecit, præstiterunt, demptâ suâ portione virili: ut adeò locus videatur esse vulgatissimæ Regulæ, juxta quam, quod semel placuit, amplius displicere non potest

*c. quod semel. 21. de R. J. in 6.*

& alterum Juris axioma, quo dicitur, quòd contra factum proprium nemo venire possit.

*L. post mortem. 25. ff. de adopt. & l. quantum. 7. ff. de S. C. Vellejan.*

39.

Ad 8. Principium illud, quo fundantur Responsa Facultatum Juridicarum, in hoc Argumento allegatarum, scilicet, quòd tempus Dispositionis attendi debeat, eatenus solum procedit, quatenus crescente, vel decrescente extrinseco valore Monetæ, obligatio non debet crescere, vel decrescere, sed permanere in eo statu, in quo tempore primæ originis suæ fuit, ita, ut Hæres, vel Debitor teneatur ad præstandum id, quòd illo tempore præstandum suscepit, vel suscipere debuit. Hoc autem non feret, in Casu præfenti, si locò Imperialium in specie præstaretur à Primogenituræ Possessore valor eorum, quem isti habuerunt tempore, quo erecta fuit Primogenitura; suscepit enim in se ille, & pro Successoribus suis obligationem solvendi 4000. Taleros in specie, vel aliam Monetam his æquivalentem. Æquivalens autem pro Taleris in specie nunc non daretur, si Legati annui nomine tantum præstarentur 6000. fl. quia nunc Taleri 4000. in specie valent 8000. fl. debet ergo nunc præstare 8000. Et hoc maxime verum est, posita communi sententiâ TT. & præcipue Canonistarum, juxta quam, si valor Monetæ intrinsecus successu temporis est immutatus, & (prout nunc contigit) cusa Monetæ currens quoad bonitatem, & puritatem Metalli, vel hujus pondus antiquâ deterior est, non tenetur Creditor acceptare solutionem in tali Moneta.

*c. cum Canonicis. 26. de Censib. l. cum quid.*

*3. ff. de Rebus credit.*

Imò nec satisfaciét Debitor, si solutionem faciat in Moneta conventa juxta valorem istius, quem ista defacto habet, casu, quo hæc ob deteriorationem sortium pecuniæ minorum in valore extrinseco augmentum accepit; nam, spectato hoc augmento extrinseco, idem est, ac si sortes illæ quoad intrinsecam suam bonitatem fuissent deteriores factæ.

Bartol. in *l. cum quid. cit. n. 17.* Alex. *ibid. n. 16.* Socin. *ad dict. tit. n. 49.*

Boër. *decis. 327. n. 13.* Casp. Anton. *Thesaur. de augm. Monet. p. 1. num. 71.* Besold. *p. 2. Conf. 60. num. 14.*

Proinde, non obstantibus Responsis trium Facultatum Juridicarum, in hoc Casu datis, dicendum, secundum literam Dispositionis, in hoc Casu factæ, Legatum annuum in Taleris Imperialibus 4000. in specie, vel si hoc fieri nequeat, in Moneta æquivalente de tempore solutionis debite solvendum, aut, si neque hoc fieri possit, quòd interest, præstandum esse, i. e. tantum numerandum, quantum ad æquandum valorem Taleri modo currentem requiritur. Nam 1. Celsissimus Institutore hujus Primogenituræ, ut dictum est Num. 23. expresse voluit, ut ab hujus Possessore perpetuis temporibus præstarentur annui Taleri 4000. in specie: quæ Dispositio eluderetur, si respici deberet valor eorum, quem habuerunt tempore Dispositionis; nam, si iste deberet attendi, sufficeret præstari Taleros 3000. quippe quæ Summa secundum valorem hodiernum æquat valorem antiquum 4000. Talerorum. 2. Non obstat, quòd idem Celsissimus addiderit verba, *Eorumve in alia Moneta his partibus usitata valore;* nam juxta dicta Num. 24. & 25. hæc verba ad vitandam contradictionem, vel superfluitatem accipienda sunt, ut sensum pariant, præstahdos esse Taleros 4000. in specie, vel si istos præstare Primogenituræ Possessor non velit, vel non possit, solvendum Legatum istud in alia Moneta; quæ æquet valorem Talerorum in specie, quem tempore solutionis isti habent: idque 3. Juxta Num. 26. ex Juris ipsius Dispositione; juxta quam, ubi Corpus debetur, & hoc in specie solvi nequit, præstandum est pretium, quòd illud de præfenti habet: quòd confirmatur ex dictis Num. 27. Nam 4. Non est credibile, quòd in casu converso, ubi Talerus in specie tempore Dispositionis valuisset 2. fl. nunc autem valeret tantum 1. fl. & 30. cr. Successor in Primogenitura pateretur se nunc adstringi ad solvendum Legatum in 8000. fl. Accedit, quia 5. Ut dictum est Num. 28. si locò 4000. Talerorum in specie solvantur 6000. fl. Agnatis accresceret ingens damnum, nullum verò Successori in Primogenitura, vel si aliquid pateretur detrimentum, id considerari non deberet, quippe cum Celsissimus Fundator ita voluerit. Neque obstat, quòd idem Fundator de Augmento Taleri in specie expresse non caverit; nam 6. Cum unum solummodo casum sterilitatis, vel inundationis &c. ab integra præstatione Legati exceperit, juxta Num. 29. Reliqui casus omnes pro non exceptis haberi debent, præsertim, cum 7. Ut dictum est Num. 30. Hæc explicatio approbata sit confessione propria ipsius Possessoris Primogenituræ, & confirmata per Rescriptum Cæsareum: cui Rescripto denique. 8. Juxta Num. 31. Nullum objici potest Sub-vel Obreptionis vitium; & si objici

40.  
Summa di-  
ctorum; &  
Resolutio  
Questio-  
nis.

jici istud posset, saltem obiici non valeret amplius, postquam à tot annis tum Antecessores, tum hodiernus Primogenituræ Possessor solutionem Legati fecit in Moneta, æquivalente valori Talerorum, quem isti habuerunt

solutionis tempore. Et hoc est, quod Juri, & æquitati, post soluta contraria Argumenta, ut videre est à Num. 32. conveniens esse existimo, salvo tamen judicio melius sentientium.

## CONSILIUM XVIII. Strittige Dienstbarkeit betreffend.

### SUMMARIUM.

1. Et seqq. Facti Species.
7. & seqq. An Collegium Nobelsburgense jure præterdere possit operas, & quidem privativè ad Principem territorialem? Rationes pro parte negativa.
16. Resolvitur affirmativè.
17. & seqq. Collegio Nobelsburgensi competit Jus operarum absolutè. Idque ostenditur ex variis documentis, atque ex immemorabili observantia.
21. Eidem Collegio idem Jus competit etiam privativè ad Principem.
22. Quod rursus probatur ex variis instrumentis.
24. Responsio ad Argumenta opposita. Jus operarum separabile est à jure Jurisdictionis, & probari debet à Domino Jurisdictionis.
25. Possunt subditi præscribere exemptionem à præstandis operis. Jus operarum probandum est, etiamsi subditus fateatur quidem, se eas hæcenus præstitisse, sed addat, se præstitisse precariò.
26. Si alicubi duplices opera præstentur, id sit vel ex pacto, vel ex antiqua observantia.
27. Instrumenta Conductionis semper expedita fuerunt in Nobelsburg.
28. Subditi Nobelsburgenses nunquam ex debito operas præstiterunt.
29. Precarium non est probandum à Rustico, asserente, se operas precariò præstitisse.
30. Collegium Nobelsburgense non uno, sed pluribus nititur fundamentis.
31. Præses Consilii Aulici non censendus est excessisse limites suæ potestatis.
32. Exemptio ab onere operarum potest præscribi sub certis conditionibus.
33. Jus ad actus mera facultatis extinguitur, si jus illud habens, eo non utatur, cum uti posset & deberet.
34. Collegium Nobelsburgense non nititur facta à Principe remissione juris operarum: sed præterdit, jus hoc Principi, vel nunquam competiisse, vel extinctum fuisse per præscriptionem.

### FACTI SPECIES.

I.

**D**as löbl. Stifft Nobelsburg hat Anno 1545. laut Tausch-Brieff sub Num. 1. von dem löbl. Reichs-Gotts-Haus W. drey Bauren, ein Lehen, und 9. Sölden in Gumerdingen samt der Dienstbarkeit, und anderen Juribus eingetauschet. Welcher Tausch auch ab Ordinariatu, laut Instrumenti Originalis sub Num. 2. quoad omnia Gnädigst approbiret worden. Nun hat das löbl. Reichs-Gotts-Haus W. die erstbesagte Dienstbarkeit bey diesen Güterren anfänglich, und schon vor 214. Jahren gang alleinig, und zwar quietè gaudiret, auch bey vorfallender Aenderung der Innhaber die Lehen-Brieff, und Reversales, wie in Originali sub Num. 3. aufzuweisen, denen Unterthanen ausgefertiget: deme dann das Stifft Nobelsburg im Genuß sothaner Dienstbarkeit, und Auslieferung der Lehen- und Revers-Brieffen, wie Num. 4. zu ersehen ruhig, und ohne geringste, vom Hoch-Stifft R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

darwider gemachte Exception, oder movirte Turbation nachgefolget: daher da aus Anlaß dieses Dienst-Rechts besagte Gumerdingische Bauren, laut Memorialis Num. 5. den 1. Junii 1662. um einige Rath-Zuhren nach Nobelsburg zu verrichten ersuchet worden, solches Ersuchen darum geschehen, weilern ernannte Bauren damahl die Dienst mit Geld bezahlet, und also zu der Actual-Dienst-Præstation nicht gehalten gewesen.

Über welches Ansuchen als der damahlige Hoch-Stifftliche Herr Plegs-Verwalter zu Islangen auf ungezimes Anlangen der Nobelsburgischen Bauren zu Gumerdingen sich opponiret, das Stifft Nobelsburg aber solche Opposition, und Einwand ihme nachtheilig zu seyn geglaubt; also hat selbes gleich selbiges Jahr den 28. Junij Gelegenheit gesucht, die des Stiffts auf Quæstionirte Dienstbarkeit habende Fundamenta nicht allein ihme Herrn Plegs-Verwaltern von Islangen, sondern auch dem Hochstiftlichen Herrn Hof-Raths-Præsidenten eines, und des Hoch-Adelichen Stiffts Schutz-Herrn anderen Theils, beyden nunmehr

Q 2

Hoch-